

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin  
Schroeder, Johann  
Vitembergae, 1719**

**VD18 11653507**

Sectio I. Exegetica

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

## SECTIO I. EXEGETICA.

### §. I.

**I**oëlis, Prophetæ gravissimi, vel ipsum nomen Interpreti pio meditando ansam subministrabit, sive enim vertas cum HIERONYMO *Prolegom. in Malachiam, Dominum DEVM*, sive cum eodem *Prolegom. in Joëlem ἀρχόμενον, incipientem*, sive cum GEORG. FRANCO *in Lex. Sancto p. 511. jurantem seu serio volentem*, re vera nomen suum bene expressit, dum & *in nomine Jehovæ ad Judæos est locutus, & initia donorum novi Testamenti in effusione Spiritus S. bene delineavit, & seriam voluntatem* Numinis de agenda Pœnitentia populo *annunciavit.* Cujus rei indicium præbet Caput hoc II. in quo non modo *imminentia mala devastationis describit, a v. 1. ad 12. verum etiam ad Pœnitentiam cohortatur v. 12-17. ac tandem populum solatur tum promissione corporalium beneficiorum v. 18-27. tum Spiritualium v. 28-32.* Ita vero in altero hoc momento versatur, ut & pœnitentiam dicat a *singulis individuis præstandam. v. 12. 14. & a congregatione universa hunc in finem instituenda, nam præscribit officia omnibus in universum v. 15. Senioribus v. 16. Puerulis v. eod. Sponsis v. eod. Sacerdotibus v. 17. & quod puerulos in specie concernit, verba ex v. 16. in fontibus sic fluunt: אָסַפּוּ עוֹלָלִים וַיִּוְנְקוּ שְׂרָיִם LXX. Interpretes: *Συναγωγετε νηπία θηλάζοντα μαιεῖς.* VVLG. *Congregate Puerulos & sugentes ubera.**

§. II. *Congregationis ad pœnitentiam instituendæ modum etiam quoad infantes Propheta per τὸ אָסַפּוּ exprimit, cujus significatio Colligendi nota est, usus vero*

in Scriptura amplissimus. Oportet videmus *GVSSERTIVM*, Virum in his literis exercitatissimum, ut in tanta diversitate objectorum, quibus describendis hæc vox adhibetur, aliquam notionem velut generalem & abstractivam inveniatur, quæ tamen, omni quoque conatu adhibito, alia esse non potest quam *coëundi seu faciendi ut aliquid coëat*, unde de *frumenti granis collectis* *Deut. XVI, 13. de lepræ ulceribus sanatis* *2. Reg. V, 3.* ipsisque *leprosis* alias separatis & rursus in *consortium aliorum hominum receptis* legitur *Num. XII, 14. 15.* Neque impedit hoc assertum significatio *adimendi*, quam in nonnullis locis habet, & in ipso hoc nostro *Joële c. III, 15.* & *præsentis Capitis vers. 10.* ubi *de Stellis*, quibus splendor ademptus est, usurpatur, nam & hic conceptus collectionis locum habet, ut, sicut per expansionem lucis radii amittantur, ita illi velut rursus colligantur per tenebras. Designat in Codice sacro hinc inde *speciatim collectiones hominum* vario fine institutas, ut *doctorum virorum*, qui de rebus gravibus & ad sapientiam pertinentibus inquirent & mutuas sententias conferunt. Ita enim *רֹב מִיָּדָם* interpretandum, quod habetur *Eccl. XII, 13. Sanctorum ad DEVM celebrandum* *Pf. L, 5. Seniorum ad Verba DEI audienda & iudicium formandum.* *Exod. III, 16.* Adeo ut plerumque talis *congregatio* universa uno eodemque fine sit confluens, qualiscunque demum iste sit. Ac præsentem quidem in loco quisnam finis fuisse dici queat, videtur esse obscurius. Nam primum intuenti equidem apparet, ac si saltem audiendi causa Ministros precantes convenire juberentur, ex Capite vero I. perspicuum est, ideo illam factam esse collectionem, ut & *ipse populus preces publice funderet*, *C. I, 14.* Ubi fere eadem locutiones, quæ in nostro oraculo habentur, paucis saltem illu-

illustrationis ergo additis. Quotquot igitur hic colliguntur, illis omnibus una eademque opera demandatum est, ut nimirum & poenitentiam agerent, & externis quoque indiciis eam profiterentur, unusquisque suo loco & ministri ecclesiae & auditores omnes.

§. III. Ad sacram igitur congregationem respicit Prophetæ, ut videatur fere pungere velle Judæorum conventus, & turbæ collectionem ad superstitionem exercendam, ad quam plerumque non tam ire quam currere solebant. *Jerem. II, 24. 25.* vel etiam hypocriticam in diebus afflictionis absque vera poenitentia factam, quam perstringit DEVS *Hos. VII, 14.* & nominat צָרַעַל-בָּצֵן וְתִירֹשׁ Congregationem ob frumentum & mustum: non ex vera poenitentia, sed ex more superstitioso & cupiditate saltem impetrandorum bonorum temporalium susceptam. Hæc vero collectio populi Judaici debebat esse conjuncta cum vera intentione precum ad DEVM uno Spiritu & mente fundendarum, quod ex Capite priori, & hujus nostri v. 12. 13. satis luculenter patere potest. Unde dicitur Ecclesiam seu cœtum debere sanctificari, in commate præsentis, hoc est: de gravitate hujus instituti debite commonefieri, ac rite præparari, ne illotis manibusque illud susciperent, adhibita etiam lustratione aliisque ceremoniis, quas interdum usurpatas esse legimus *Exod. XIX, 10.* Quorsum etiam pertinebat tubarum cantus, hic non minus mandatus, qui ritus buccinis canendi, uti quotidianus & mensuus in templo Hierosolymitano erat, ita ad initia & finem plurium dierum festorum adhibitum fuisse tempore & læto & tristi observat HADRIANVS RELANDVS *Antiquit. Ebraic. Part. II. p. 188.* ubi quid inter השופר & הצפרות buccinas & tubas discriminis fuerit, sicco pede transimus, & ad scrutinium

rituum Judaicorum remittimus. Quod infantes concernit, opus erat, ut illorum collectio partim deductione, partim ulnarum & brachiorum deportatione fieret, prout aliquando factum esse legimus *Matth. XIX, 13*. Ubi vox *προσφέρεσθαι* adhibetur, quod & *deducere* & *aliquo portare* norat.

§. IV. Hoc tandem memorabile est, Spiritum S. hic cumulare Synonyma, unum eundemque *congregationis* actum designantia, & quod hic per *תּוֹסַפּוֹס* expresit, in praesenti nostro commate etiam per *תּוֹ קבץ* ut & *נרץ* denotare velle, quorum illud a GUSSETIO sub hac radice, magno studio a *תּוֹסַפּוֹס* discriminatur, parvo equidem aut nullo emolumento, hoc vero absque omni dubio modum *colligendi per conuocationem generalem & specialem*, imo etiam *individualement* denotat, quæ in urbe bene disposita, & in certas tribus digesta atque ordinata facile belli ac pacis tempore fieri potest, ita ut omnes ac singuli incolæ, vel ad nutum imperantis compareant, dato in hanc rem signo vel audibili vel visibili, dummodo notabili omnibus. Imo nostrum *תּוֹסַפּוֹס* geminatur admodum emphatice, & quod antea in hoc commate de populo dicebatur: *תּוֹסַפּוֹס עַם*, *Congregate populum*, illud nunc de infantibus prædicatur *תּוֹסַפּוֹס עוֹלָלִים*, *Congregate Parvulos*, de Senibus vero *תּוֹסַפּוֹס זְקֵנִים*, *Congregate Seniores*, cuius variationis causa reddi vix potest, cum Spiritus S. in feligendis vocabulis peculiari interdum consuetudine gaudeat. Nobis sufficiet hoc annotare, quod hæc repetitio aut ejusdem vocis aut synonymarum vocum de uno eodemque actu non inutilem aut molestam repetitionem tautologicam, sed exergasiam admodum ponderosam secum ferat, quæ menti, styli Scripturæ S. asveta non saltem non tædiofa, verum

rum summopere potius jucunda & grata habetur, præcipue cum hæc conglomeratio Rhetoribus  $\sigma\upsilon\nu\alpha\ \theta\epsilon\lambda\omega\sigma\iota\sigma\upsilon\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron$  nomine laudata non inter postremas virtutes sermonis, præcipue cum  $\mu\epsilon\pi\iota\sigma\iota\mu\acute{\omega}\nu$  & aliis figuris conjuncta, referatur.

§. V. Pertinuit itaque hæc convocatio etiam ad *Infantes*. Horum duas classes Joël noster constituit, alteram nominat  $\text{עֹלְלֵי}$ , alteram vero  $\text{יֹזְקֵי שְׂרָיִם}$ . Videntur hæc duo differre ut *genus & species*. Nam  $\tau\omicron\ \epsilon\upsilon\lambda\lambda\epsilon$  seu  $\epsilon\upsilon\lambda\lambda\epsilon$  aut  $\epsilon\upsilon\lambda\lambda\epsilon$ , promiscue *infantem*, etiam *adultiorem*, notat, quod loca *Ef. XIII, 16. Hiob. XXI, 11. XIX, 18. Ps. CXXXVII, 9. Nabum. III, 10. Ef. LXV, 10. Ef. III, 12.* & alia plura satis docent, alterum vero describit *parvulos utriusque sexus adhuc lactentes*, & idem est ac  $\text{Βρέφος}$  Græcorum. De utraque denominatione non profus alienum est quærere, an proprie, an potius improprie capienda sit? Nam si prædicata adspiciunt Sociniani, quæ interdum in Scriptura tribuuntur infantibus, rationis captu non dimetienda vel assequenda, malunt non raro vocabulum *Infantis* improprie sumere pro homine adulto, aut rudi, aut saltem intellectu infantili prædito, quam cedere veritati Deoque loquenti & asserenti. Hic vero cum alia effugia quærant, nobiscum proprie & absque ullo tropo pro infantibus tenerima ætate gaudentibus sumere non dubitant, quod merito acceptamus. Est igitur  $\text{עוֹלֵלִים}$  *Infans*, qui non modo ephebis & juvenibus, verum etiam adultis omnibus opponitur. Neque hic in oppositionem veniunt  $\text{זְקֵיִם}$  &  $\text{עוֹלֵלִים}$  quasi his duabus classibus universus populus contineretur, Virilis enim ætas ac stata & media marium & foeminarum ad neutram pertinet, sed quoniam, sub coetu convocando, & in publicum prodeunte regula-

regulariter intelligi solent adulti & in annis consistentibus constituti, & non sufficere hoc debebat, ut hi soli publicum cultum celebrarent, aliquid singulare hic geri vult Propheta, & jubet etiam convocari tales homines, qui aut raro aut nunquam producantur in congregationes, nimirum & *senes*, quos decrepita aetas a commercio hominum & conventibus publicis excludit, & pueros atque infantes, qui alioqui ob defectum usus rationis in cultum & coetum publicum non admittuntur. Hæc itaque solennia poenitentialia vult Propheta etiam frequentari ab infantibus, qui a Parentibus suis in locum congregationis, quem regulariter templum præbebat, aut manibus ducerentur, aut ulnis Matrum eo deportarentur, qualia erant *παιδία*, quæ a foeminis ad Christum deferebantur, ad benedictionem ab ipso impetrandam Marc. X, 13. 16.

§. VI. Parum aut nihil hic interpretes monent circa vim horum vocabulorum, liquidum enim est per *וּנְקִי שְׂדֵי* *sugentes ubera*, infantes unius vix anni intelligi debere, cum ultra hoc spacium materni nutrimenti usus plerumque jam olim cessaverit. Non attendere hic copulam voluerunt LXX. Interpretes, qua Spiritus S. usus, ut cum emphasi meminerit & puorum & lactentium Infantum, unde sufficit ipsis vertisse textum nostrum *συναγάγετε νηπία θηλάζοντα μασές* *Pueros ubera sugentes*, quæ tamen Propheta sollicite distinguit. *Νηπίον* enim omnis generis infantes designat, Prædicatum vero alterum omnibus infantibus in statu non competit, unde mentem Spiritus S. assecuti minus fuisse videntur, utpote qui utriusque classem infantes hic probe discriminat, atque *pueros* seu *puellas* & simul *infantes lactantes* in coetum publicum afferri & deportari jubet,

jubet, in prioribus usum rationis quendam se exserere nulum est dubium, etsi illum admodum imbecillum esse fateatur Apostolus, qui τὰ τῶν νηπίων ab illis, quæ sunt τῶν ἀνδρῶν, solícite distingvit, neque tamen veretur τοῖς νηπίοις τὸ λαλεῖν, φρονεῖν, λογίζεσθαι adscribere, quæ omnia sunt rationis. 1. Cor. XIII, u. Posteriolem vero classem quare hic adjungat DEVS, & parvulos quoque lactentes reliquis ad cœtum publicum congregatis affociet, plus movet admirationis. Sui enim obliviosi sunt, qui ut fidem infantum forte in dubium vocent, & hunc quoque locum elidant, hos congregatos infantes pueros potius adultiores fuisse fingunt: nihil enim clarius quam quod lactentes ubera nequeant esse grandiores, velut hoc PISCATORI objicienti recte & graviter exprobrat PHIL. HENR. FRIDLIVS in Exegeti hujus Loci.

§. VII. Hic itaque mira dantur sententiarum divortia, ubi ratio exponi debebat, cur infantes & pueri in publicam adduci cœtum jubeantur? B. LUTHERVS Comm. in Joël. eum in finem factum fuisse scribit, ut excitarentur adultiores ad pœnitentiam, sicogitarent publicas calamitates etiam parvulos & Infantes tangere, & horum causa eo magis ad precationem seriam pro avertendis malis publicis fuisse promotos. Tom. VI. Alten. p. 947. Plerique eo rem pertinuisse credunt, ut fletu, lacrymis & ejulatu infantum DEVS ad levandam calamitatem permoveretur, sicut vel clamore corporum ad dandum iis escam adducatur Ps. CXLVII, 9. cum apud Ninivitas ipse quoque pecudes a pabulo remote & ad jejunium compulsæ fuerint Jon. III, 7. ut ipso suo rugitu & clamore tum DEVM ad Misericordiam, tum homines ad dolorem de peccatis & agenda pœnitentiam incitarent; Alii in eam descendunt opinionem, quasi vellet DEVS, ut illa adductione commonescerent Pueri de solennitate ista pœnitentia, & adultiores aliquando facti, illius diei reminiscerentur, & filiis suis in publica calamitate vicissim pœnitentia talis exemplum praberent. Aliis

B

aliter

aliter visum est, quorum tamen sententias in tanta brevitate, cujus lege nunc constringor, recensere non est integrum. Nec illa omnia prorsus incongrue, saltem si modeste liceat aliquid monere, hoc mihi visum est incommodum, quod ab ipsa pœnitentia, ad quam populum adeo severe exhortatur Propheta, infantes sic videantur prorsus excludi, & videri, ac si ad *externum saltem quoddam spectaculum* adducantur, in quo nullæ sint ipsorum partes, præterquam videndi, neque tamen intelligendi quicquam, aut agendi, aut patiendi. Cujus rei dubium mihi conciliat adeo severum DEI mandatum de convocando populo ad pœnitentiam tum agendam, tum contestandam, ad quod si infantes nulla ratione pertinuisent, vel alius finis quam pœnitentia, respectu illorum datus fuisset, omnino Spiritum S. expressurum fuisse firmiter persuasum habeo. Neque me movere potest exemplum Ninivitarum, qui *pecudum quoque clamorem querelis suis permiscuerint*, nam neque leguntur id fecisse; neque si id fecerint, aut Divino mandato, aut approbatione illud factum esse ulla specie veri evinci potest. Neque etiam credere possum, cum armentorum clamore & boatu, ejulatum infantum cum senioribus congregatorum, in comparisonem trahi licere, cum hic coram DEI oculis plus sane habeat considerationis, & diserte dicat Regius Psalter: *ex ore parvulorum & lactentium DEVM sibi comparare laudem & celebrationem Ps. VIII, 3.* Quæ verba proprie intelligenda esse cum LUTHERO aliisque Nostratibus firmiter credimus, & HENR. MOLLERO Crypto Calviniano aliisque falsas suas interpretationes, qui de hominibus simplicioribus exponunt, relinquimus, & minimè omnino assentimur RAVPIO, qui in h. l. putat, *metaphoricam illam explicationem non tollere literalem*, cum potius *hanc solam* locum habere ipsa Christi explicatio doceat evidentè *Matth. XXI, 16.*

§. VIII. Melior itaque & præstantior erit explicatio, qua Prophetæ mentem revera talem fuisse asseritur, quod *Infantes eo sine debuerint adduci, ut cum adultis pœnitentiam agerent*; Non enim est ratio, quæ, alium scopum DEI fuisse in adultis, alium in infantibus, edoceat: cum universæ congregationi, cujus partem infantes debebant constituere, idem contingat mandatum, eadem dictetur poena, eadem proponatur promissio. Satis mature hoc expendit HIERONYMVS, qui hunc locum Joëlis ita *παραφράζει*: *Congregate populum, ut qui dispersus peccaverat, congregatus peccare desistat. Sanctificate Ecclesiam, ut nullus in ecclesia non sanctus sit, ne forsitan impediatur orationes vestra: & modicum fermentum rotam massam corrumpat. Coadunate sive eligit senes, ut non ætas in eis sed sanctitas eligatur. Congregate quoque parvulos & sugentes ubera, ne ulla sit ætas, quæ non convertatur ad Dominum. Parvulos & lactantes, de quibus in Psalmis & in Evangelio legimus: Ex ore infantum & lactentium perfecisti laudem. Quos Petrus rationali & absque dolo dicit lacte nutritos, de quibus Paulus loquitur: Lac vobis potum dedi, non escam, quorum & Salvator meminit: ne contemseritis unum de minimis istis. Oper. Tom. VI. p. 75.* Non vult itaque HIERONYMVS excludi infantilem ætatem ab illis, qui convertuntur hic ad Dominum. Unde finis congregationis a Propheta præscriptæ abunde patet, nihilque superest, quam ut penitus scrutemur, qua ratione pœnitentiam ab infantibus exigi aut præstari posse, illæsa fide ejusque analogia dici & concedi queat, ne in excessu vel defectu aliquid peccetur.

## SECTIO II. DOGMATICA.

### §. I.

Quam difficile sit argumentum & grave præsens de pœnitentia Infantum, protinus patebit, si ante omnia divortia

B 2

sen.